

DE POENITENTIA ADAMI.

que? At illustre fidei primæ Matris testimonium habemus Gen. IV. I. quod more suo h. e. solide exposuit Venerandus *Schmidius* peculiari dissertatione *de Fide Matris Evæ*, quæ in Fasciculo II da est, cujus summam his exhibet: Sanctam Matrem Evam, cum non inter exiguos partus, qui ipsi primæ difficilis a Deo factus est, dolores primogenitum suum peperisset, & masculum esse vidisset, recordatam fuisse promissionis, sibi & Marito suo Adamo factæ, quæ omnium parturientium solatium omnino esse debet, quod Messias, totius humani generis, parentum & liberorum Redemptor, certo venturus, futurus verus homo, & verus Deus seu Jehovah, quem quisque vera fide possessurus esset sibi, salvandus esset, non impredientibus ullis, sive partus sive reliquæ vitæ laboribus, doloribus, adversitatibus: hujusque fideli recordatione non tantum se ipsam fuisse consolatam inter dolores suos & labores molestos, sed monumentum etiam hujus suæ fidei in nomine primogeniti sui filii erigere, quod toti etiam posteritati & matribus in primis parturientibus, doctrinæ & solatio foret, voluisse: Non quod filium suum primogenitum esse ipsum illum Messiam, quem adeo jam in carne præsentem foris possideret, existimaret, sed quod eum in fide & intus possideret nondum natum, suo autem tempore nascendum & manifestandum, cujus nihilominus promissio, vera fide apprehensa, etiam ante adventum in carnem, salvare homines posset; hac promissione sibi facta se magis gaudere, hoc vero Jehova se magis exultare, quam masculo sibi recens nato, quanquam hoc quoque, tanquam humani generis primogenito, non parum etiam latari debeat, ut in hujus nomine monumentum fidei & gaudii sui extare in omnem posteritatem humanam velit. Acquisivi vel pos-